

No. 126. 1244. 15. Mai.

*P. Innocenz IV. beauftragt den Abt zu Bosau und die Pröbste zu Altenburg und Mildenfurth in der Klagsache des B. von Meissen gegen den Bischof von Prag über Eingriffe in die Diöcesanrechte die Parteien zu hören und den Streit beizulegen.*

Innocentius episcopus servus servorum dei dilectis filiis . . abbati de Puzowe et . . de Aldenburc et . . de Mildenwrthe ecclesiarum praepositis Nuenburgensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Venerabilis fratris nostri . . Misnensis episcopi recepimus questionem, quod venerabilis frater noster . . Pragensis episcopus indebitam sibi in Misnensi diocesi iurisdictionem usurpans, in ea dicto Misnensi episcopo contradicente penitus et invito ecclesias consecrare ac alia iura episcopalia, quae ad eundem Misnensem episcopum spectare noscuntur, pro suae libito voluntatis exercere praesumpsit in eiusdem non modicum detrimentum et gravem Misnensis ecclesiae laesionem. Propter quod fuit ex parte ipsius ad sedem apostolicam appellatum. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audiatis causam et appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani Idus Maii pontificatus nostri anno primo.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an hänfener Schnur.

No. 127. 1244. 26. Sept.

*Erzbischof Siegfried III. von Mainz beauftragt unter Mittheilung der päbstl. Bulle vom 27. Apr. 1244 den Bischof, Probst, Decan und den Domherrn Sifrid von Pegau sämtliche Kirchen der Diöcese zu visitiren.*

S. dei gratia sanctae Maguntinae sedis archiepiscopus, sacri imperii per Germaniam archicancellarius venerabili in Christo patri domino . . episcopo et dilectis in Christo . . praeposito . . decano et Sifrido de Pygauia canonico Misnensi salutem et sinceram in domino caritatem. Noveritis quod domini papae litteras recepimus in haec verba:

Innocentius episcopus servus servorum dei, venerabili fratri . . archiepiscopo Magunt(inensi) salutem et apostolicam benedictionem. Romanus pontifex magni pastoris vicarius, quem ecclesiarum omnium curae nexus obligat apostolicae servitutis, quia ne ecclesiis a se distantibus impendat sui ministerii debitum, prohibent intervalla locorum, alios in messem dominicam operarios compellitur evocare. Hinc est, quod cum status ecclesiarum in Magdeburgensi provincia multae deformationis tribulis opprimatur, quos expedit falce apostolica resecari, tibi de cuius discretionem confidimus in dicta pro-